

WSM

87



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

Mbb-7



In hoc libello sunt.

1. Doctrinae Scholae Melanctoni
de Filio Dei
2. Lev. Lemnii Similit. ac Parabola Sime
3. Helmboldi Monastica in
Sca. Capita.
4. Crusigeri Oratio de Polyc. et
Christ. Iona de Paulo.
5. f. v. g. 7 August. v. v. v. v.
ip. v. v. v. v. v. v. v.
6. v. v. v. v. v. v. v.
7. v. v. v. v. v. v. v. Luther.
8. Cathol. v. v. v. v. v. v. v.

DE SATANA
GENERIS
HUMANI HO-
STEFEROCIS-
SIMO

DIALOGVS,

Pio studio scriptus, & in lu-
cem recens editus

Ab

ADAMO LAMPERTO
SERVESTENSI.



VVITEBERGÆ

*Typis Clementis Schleich & An-
tonij Schön.*

M. D. LXXVIII.

LECTORI

PIO S.

Faces cœruleo polo quot ardent,
Quot pisces pelago natant profundo,
Vel quot cultus ager refert aristas
Tunc cum messis opes suas abundè
Ostendens cupidos beat colonos:
Tot fraudes stygij Draconis esse
Hoc nostrum docet & simul poëma
Suadet, consulit, admonet, precatur,
Ut sis cautior, ambules pièq̄,
Tensis tot laqueis dolisq̄, captus
Tandem ne pereas amice lector.



ADAMVS LAM-
PERTVS FILIIS SVIS
Andreae & Hieronymo
salutem precatur.



DIABOLVM NON
solum immuni odio filij
Dei ardere, verum eti-
am ingentem furorem
& truculentiam perpe-
tuo erga Ecclesiam exercere, res ipsa
loquitur: Videmus enim hunc coetum,
qui Deum vera agnitione filij sui cele-
brat & debitos cultus ipsi exhibet, à Di-
abolo & Tyrannis adeo oppugnari, vt
delere etiam & funditus eum extirpare
conentur, nisi Deus Opt. Max. imma-
nem

nem potentiam & rabiosam seuitiam
Diaboli frangeret, milleq; technas eius
omnibus modis impediret, Videmus, in-
quam, & inficias ire non possumus, o-
mnes pios rectè agnoscentes Deum à
Diabolo miserè affligi, ledi & vexari,
ita vt non momentum horæ ab illius in-
sidijs tuti essent, nisi diuinitus tegeren-
tur. Hanc miseram ac tristem generis
humani conditionem, quoties cogito, non
raro illachrymans deploro ingentes æ-
rumnas & calamitates, quibus subiecti
sunt homines, propter multiplices insi-
dias, furorem ac tyrannidem Diaboli,
qui quos potest, immani odio filij Dei,
rapit secum in varia flagitia, & in
æternum exitium. Neq; enim frustra
inquit Petrus, Diabolum circuire insi-
diantem nobis, velut leonem rugientem,
& quærere quem deuoret. Hanc
immanissimam crudelitatem & acer-
bissimam

bisſimam iram Satanae aduerſus ge-
nus humanum coniunctam cum aſtutiſ-
ſima fraude & indefeſſo ſtudio nocen-
di hominibus, hoc qualicumq; carmine
depictam candidi ac beneuoli lectoris
oculis ſubijcere conatus ſum, vt piorum
animi tantam Satanae rabiem magis
formidare diſcant, Deoq; ſe commen-
dent, ac ſerio petant, vt ipſe curam no-
ſtri ſuſcipiat, & nos ab impetu & aſ-
ſultu Diaboli clementer tueatur.

Vobis autem filij cariſſimi hanc
meam qualemcumq; lucubratiunculam
nominatim dedico, & ſicut alias ſae-
pe, ita nunc etiam hortor & oro, vt
totius vitae vestræ curſum ad Chri-
ſtianam regulam iſtituatis, Expedi-
tiſſima enim via eſt proſtigandi Dia-
bolum pie & honeſte viuere, vt nihil
interim dicam de ſuauiſſimis promiſ-
ſioni-

tionibus, quas in hac & futura vita pietas habet. Oro etiam & pro meo iure simul precipio, ut propter salutem uestram gnauiter obeatis prouinciam uobis commissam, & in omnibus rebus uos modestos geratis, Erit uobis hoc honestum, & mihi, qui ex animo uobis bene cupio, uehementer gratum. Spero uos nihil uobis indignum admissuros, sed consilio meo ultro obtemperaturos, & à paternis admonitionibus nunquam recessuros esse. Nec dubito Deum uestris conatibus affuturum esse, si modo omni studio ipsius imperata facere seriò animis uestris propositum fuerit. Et quia tu maior es natu Andrea, & non omnino ingenio cares, in hoc studium maxime omnium incumbere & summam diligentiam adhibere debes, ut una cum pietate artes liberales maiori cura discere, & mori

moribus probatis ornatiorum te indies
reddere pergas: Hoc enim pacto faci-
le, vt arbitror, efficies, vt frater tuus
Hieronymus, vbi adoleuerit, tuo ex-
emplo inuitatus fraternis vestigijs insi-
stere, eaq; paulatim imitari discat. Ad-
monui, meo sum functus officio. Quod
reliquum est, toto pectore opto, vt Deus
pater liberatoris nostri Iesu Christi stu-
dia vestra prouehat, vniuersum vite
vestrae curriculum fortunet, & contra
omnia mala vos benignè protegat. Be-
ne ac feliciter valete, Serueste

Mense Augusto, Anno salutis

M. D. L. XXVIII.



DE SATANA
GENERIS HUMANI
NI HOSTE FEROCIS-
SIMO DIA-
LOGVS.

Filius & pater collo-
quuntur.

Filius.

*Dic mihi quid Satan est? Pat: malus est scele-
rumq; magister.*

Filius.

Quid facit ergo mali? vitij quid carpis in ipso?

Pater.

*Per loca cuncta ruit furiosi more leonis,
Et nostrum cupido semper sitit ore cruorem,
Prorsus enim totis aut perdere viribus, aut nos*
Calli-

Callidus occulto prosternere nititur astu;
Tartarei tantus furor est rabiesq₃ Tyranni.

Filius.

Durior est scopulis, cuius nil talia pectus
Afficiunt: Sed quaeso mihi pater ordine narra
Ille nocens hominum deceptor & improbus hostis
Qui genus humanum felici exclusit ab horto
Cur ita grassatur? cur tanta incanduit ira?

Pater.

Nos superi quod amant, animo fert semper iniquo,
Hinc furor hinc Satanae rabies existit & ira.

Filius.

Dic quibus incumbit studijs? quas diligit artes?

Pater.

Nocte dieq₃ dolos varios exercet, & idem
Insidians nobis laqueos & retia ponit.

Filius.

Cur tamen hoc facit? & studijs quid quaerit in istis?

Pater.

Quod petis auditu triste est, & flebile dictu,
Insidias quod enim tacitas struit hic & ubiq₃
Consilio & studio facit hoc, ut fraude doloq₃
Opprimat innumeras animas, et ducat ad umbras
Has secum stygias, ingens ubi terror & angor

A 5

Perpe-

Perpetuo cruciant, longoq³ dolore, graviq³
Afficiant pœna fontes: miserabile dictu.

Filius.

Sit licet ista brevis narratio, magna timoris
Est mihi causa tamen magni, Quid consulis autem?

Pater.

Disce timere Deum, veris te dotibus orna,
Illecebrasq³ caue Satanae caue peius & angue.

Filius.

Hoc erat eloquijs gravibus quod Christus Iesus
Mentibus inculcat nostris, meminisseq³ mandat,
Plenus vt tamen his etiam de rebus agamus,
Dic quoq³ cur homines adeo Satan odit, vt omnes
Deletos cupiat, superesse nec amplius vnum.

Pater.

Horresco referens & mecum talia versans
Sapius abstergo lachrymas super ora cadentes,
Quid multis? animum non reddunt tristia lætuna.
De Satanae quæris rabie nimioq³ furore
Cur homines cruciet nullo non tempore: dicam,
Quaę prius retuli repetam sed singula paucis.
Acribus inuidiæ stimulis accensus in illos
Sevit, & extinctos radicitus hos cupit omnes,
Hei rabie quanta Satan hic ardescit & ira
Omne mouens saxum studio summoq³ laborans
Ut genus humanum sine fine adfligat & vrat.

Præci-

Præcipue vero speretas hoc tempore Musas
Odit, & insontes has qualibet opprimit arte.
Hei mihi, quem nobis res adferet ista dolorem,
Tartarei fraudes has insidiasq; Draconis
Quanta pericla breui quam tristia dâna sequetur.
Nam semel aonijs pulsus, mihi crede, Camœnis,
Nil nisi barbaries toto regnabit in orbe,
Dogmata vera Dei crassis oppressa tenebris
Et velut obscura tunc obruta nocte iacebunt.
Quid? quod in hac tanta caligine nemo docebit
Unde salus homini speranda sit, vnde redempti
Simus, & vnde Dei offensi placata sit ira.
Me miserum, cladem poterit quis carmine tantam
Deplorare satis, iustumq; ostendere luctum?
Hæc erit illa lues, clades quæ vincet & omnes
Ærumnas reliquas, quæ plurima crimina propter
Et culpas varias nobis contingere possunt;
Hæc quoties reputo, mea mens formidat & horret,
Euontusq; timet grauiores esse futuros.

Filius.

Ferrens est audire potest qui talia corde
Intrepido, Sed tartarei recitare colubri
Perge dolos reliquos, incredibilesq; furores.

Pater.

Expeditam paucis, atq; ordine singula pandam,
Inuicunda licet mihi sint & acerba relatu :

Ipsæ

*Ipse Satan princeps Erebi, fraudumq³ magister
Lædat vt exitio nos deteriore, ministros
Excitat innumeros, doctrinae semina falsa
Qui latè spargant, nec Christi dogmata curent,
Hi templis præfunt, diuinaq³ sacra ministrant,
Utq³ rudes animos ignaraq³ pectora fallant
Heu populo quas non audent proponere nugas
Fabellasq³ meras, & inania somnia Vatum?
O nimis astutæ vulpesq³ lupiq³ rapaces
Qui studio magno Christi benefacta siletis
Perpetuoq³ nihil nisi dogmata falsa docetis,
Utq³ nihil vestris desit furialibus ausis
Sollicitè magnos æris cumulatis acervos
Suppetat vt ventri, quod nunq³ absumere possit,
Vosq³ ita dum totos sitis & sceleratus habendi
Ardor habet, vera procul à pietate remoti
Non Dijs sed lucro proprio seruitis, & estis
Autores alijs, offensa vt numina placent
Muneribus, redimantq³ datis sua crimina nūmis.
Quid verbis opus est? statuas rationis egentes
Implorare, ferant vt opem, prodesse docetis.
Heu sortè miserandā hominum, quos fascinat error
Tam leuis, vt credant simulacris numen inesse,
Hoc erat in surdis frustra spem ponere Diuis,
Rebus & in dubijs dubiam sperare salutem
A superis, quibus est saluandi nulla potestas.
Scilicet hæc pueri deliramenta senesq³
Auribus arrectis oracula vt aurea discunt.*

Quid

*Quid
(Insi
Culti
Quos
Cond
Omn
Perf
O ge
O te
Quis
Unde
Nun
Quis
Erigi
Adm
Quod
Sit D
Indig
Iustic
Quem
Prom
Inter
Eiecto
Talia
Erga
An ge
Quid
An D*

Quid moror? ossa etiam sanctorum Reliquiasq;
(Inspiciens vulgus quas numinis instar adorat)
Cultibus illicitis & honoribus his celebratis
Quos sibi deferri soli mandatq; iubetq;
Conditor humani generisq; redemptor Iesus.
Omnia quid memorem? meritis considerare vestris
Persuasum est populo, mortalibus esse saluti.
O gens perpetuis Erebi dignissima pœnis,
O tenebræ tristes, ô crassus & impius error,
Quis docet interea via quæ sit vera salutis,
Unde salus amissa prius reparata sit, unde
Nunc reditus nobis felicia factus ad arua,
Quis mentes pavidas culpæ pœnasq; timentes
Erigit, & miseris veniam docet esse paratam?
Admoneat raro est qui pectora tristia, clemens
Quod genus humanum tanto complexus amore
Sit Deus, vt passus sit Natum occumbere morti,
Indignæ morti, qua crimina nostra piavit
Iusticiam & nobis retulit de morte resurgens,
Quem iuuet, hic nemo est, de tantis dicere rebus:
Promissum Semen quod ab æthere venerit alto
Interras, moriens damnatum vt liberet orbem
Eiectosq; homines in regna priora reponat.
Talia nemo monet, curat quoq; nemo docere
Erga homines lapsos quæ sit diuina voluntas.
An genus humanum cœlestia numina curent,
Quid nos conciliet superis: peccata remittat
An Deus: æthereo cur nos dignetur Olympo.
His

His ita præteritis hominum commenta docentur,
Hæc lachrymis, hæc est mæstis res digna querelis.
Hei mihi, quid fucis est perniciosius istis?
Qui nummis inhiant nostris gaudentq; rapinis,
O populi clades, ô execrabile vulgus,
Hi sunt, quos verè dicas animalia ventris,
Vel pecus Arcadicum, vel pondus inutile terra,
Monstra hominum, nostri portentaq; noxia secli.
Hei mihi, cur pestes & talia viuere monstra
Fert Deus? heu cur non hos viuos deuorat Orcus!

Filius.

Credo equidem, nec quæ memoras, mihi ficta vi-
dentur,
Quandoquidem nil est Satana crudelius ipso.
Sed tibi de tanta, dic, quid feritate videtur?
Ille vetus serpens & cæci præses Auerni
Unde animo cœpit tantos haurire furores.

Pater.

Esse negata sibi quia nouit gaudia cæli,
Hæc miseris etiam mortalibus inuidet, atq;
Hos prohibet celsi ne sede fruantur Olympi.

Filius.

Ista ferant, miror, cur cælica numina, cur non
Exitium impediunt, cum possint multa cauere?

Pa

Pater.

*Absit, vt interitus nostri Deus esse putetur
Causa, dolis Stygij magis assignanda Colubri
Atq; his, qui Satanae fallentia iussa sequuntur.*

Filius.

*Auribus arrectis pater hausit talia, sed me
Attonitum reddunt tua dicta, quod audio tantam
Concessam Satanae vim rebus in omnibus esse,
Tradat vt exitio sine fine malosq; bonosq;.*

Pater.

*Nate nihil finxi, rabies est tanta Tyranni
Tartarei, vt quoties animum subit, occupet horror
Et stupidos faciat totius corporis artus.*

Filius.

Formidanda refers, Satanae si tanta potestas.

Pater.

Tanta quidem quantam fili vix credere possis.

Filius.

*Ergo homini spes est iam nulla relicta salutis
Iraq; perpetuo Stygij metuenda Draconis
Hunc premet, assiduo facietq; perire timore?*

Pater.

Non ita: fixa Deo fiducia nostra su illo

Qui

Qui cæso ac victo tam sæuo fortiter hoste
Morte sua voluit nostram seruare salutem,
Huic decet vt referas tali pro munere grates.

Filius.

Vera pater memoras, & ego tibi vera monenti
Parebo, referamq; Deo hoc pro munere grates
Qui miseros homines tanto dignatus honore
Hos vltro asseruit, superaq; locauit in aula.

Pater.

Fortunatus eris, requies & spes mea fili,
Si tibi persuasum est monitis parere parentis
Et celebrare Deum, gratisq; ornare Camænis
Munera, quæ Christus meruit tibi, sanguine fuso,
In cruce cum moriens nostro pro crimine pœnas
Sustinuit, læsiq; patris compescuit iram;
Pro meritis tantis huic præmia reddere laudum
Huic bene de nobis merito dare carmina fas est,
Solut enim Christus nostri reparator honoris
Imperium postq; Satanae destruxit, & arces
Fortiter euertit Stygias, inamabile regnum,
Omnibus occlusum nobis reserauit Olympum,
Solut is in lucem reduces ex faucibus Orci
Nos fecit, Stygijs secumq; eduxit ab vmbrijs
Illustrare pijs hæc munera laudibus, est quod
Nominis æterni tibi conciliabit honorem.
Diuinas igitur valeas vt pangere laudes

Sit

Sit bonus & faueat tibi carminis Autor Iesus.

Filius.

Hæc audisse mihi pater infinita voluptas
Est, magis utq; mihi Christi sit gloria cordi
Calcar erit: nam me planè accendisse videris;
Donec in hac ergo lachrymarum valle morabor
Et pia fata sinent, vitali vescar ut aura,
Munera tanta Dei mea per præconia tollam,
Nam (verbis tandem cõplectar ut omnia paucis)
Amplificare Dei meritum, reuerentia summa est
Quam præstare Deo mortalia pectora possunt.

Pater.

Huc tua si tendent studia, ut rationibus istis
Crescat & in terris celebretur gloria Christi,
Dispeream tua si pietas mercede carebit.

Filius.

Si quid splendoris mea carmina si quid habebunt
Quod sit & aonijs Musis & Apolline dignum,
Gratus ero superis, pater & tua iussa capeffam.

Pater.

Premia semper habet pietas sua: fiet ut olim
Auxiliante Deo te gloria magna sequatur,
Ut facis, ergo time, cole, dilige, Numen honora,
Quàmq; diu gratæ dabitur tibi copia lucis,
Munera larga Dei benefactaq; tanta celebra.

B Filius

Filius.

Numen honorabo, pater, vt decet, omnibus horis,
Inq̄, Dei laudes omnes conuertere pergam
Mentis & ingenij vires, hunc laudis honore
Tollere constitui mecum, dum Spiritus ossa
Hæc reget, & superi tribuent mihi luminis vsum,
Interea nostris faueant conatibus, & te
Incolumem, genitor, nobis pia numina seruent.

Pater.

Si sedet hæc animo sententia, si tibi certum est
Talibus assidue studijs insistere, vitæ
Cōmoda multa feres, & Numen habebis amicum.
Si sapis ergo Dei tibi conciliare fauorem.
Perge, bonis auibus nec cœptum desere cursum,
Utq̄, nihil possit, puer, esse quod amplius optem,
Et tibi ne frustra fluat irreuocabilis ætas,
Quare etiam immortale tibi per secula nomen,
Quærere dum sinit hoc præsens occasio, nec te
Delicijs capiat perituris blanda voluptas,
Quisquis enim mundi carnisq̄, tenetur amore,
Fallitur, & pulchrum sine fructu prodigit æuum.
Ac ita fit tandem, transactis turpiter annis
Ut multos hodie lachrymosa sequatur egestas,
Tales sponte sua peccant, pereuntq̄, volentes.
Si sapis hæc memori mea pectore dicta reconde,
Vtile consilium cani nec sperne parentis,
Nec te præsentis moueant incommoda vitæ

Quodq̄

Quodq̄, hodie meritis referatur gratia nullis,
Sors aderit, si fata volent, felicior olim,
Dotibus ornatum quando te cana senectus
Excipiet varijs, voti facietq̄, potentem;
Interea etatis iuuenilis mille labores
Disce animis æquis perferre, nec indomitam iram,
Sæuitiam Stygij nec acerbam horresce Draconis.

Filius.

Quæ tua sit teneo mens, ô pater, vt bene viuas
Nunc precor, & multos valeas feliciter annos
Ultima te donec ducant ad sydera fata.

Pater.

Tu quoq̄, viue memor monitorum nate meorum,
Sic Deus explebit fatis tua vota secundis,
Incolumemq̄, malo te conseruabit ab omni.

Filius.

Sit Deus ipse tibi mitis, bonus atq̄, benignus,
Et tibi pro tanta faueat pietate vicissim,
Tempore difficili, dubio in discrimine vitæ
Ipsius auxilium quoties rogitare necesse est,
Oranti faciles idem tibi præbeat aures,
Tunc etiam postrema tibi cum venerit hora
Sit præsto, gemitusq̄, tuos exaudiat vltro.

Pater.

Tam pia vota Deus faciat rata, lætaq̄, tandem
Det mihi post obitum cælestis gaudia vitæ.

ΤΕΛΟΣ.

Soli Deo laus & gloria.

PRO LIBERORUM
SALUTE PRECATIVNCULA AD
CHRISTVM,

Eiusdem Adami.



Æ Tatis teneræ qui delectatur amore
Perpetuo, Christum supplice voce precor,
Ut

Ut pueros nostros (cœlestia dona) gubernet
Hosq̄, paret summo vascula digna Deo,
Templa domosq̄, suas faciat mea pignora Christus,
Utilius nihil est quod meliusue petam,
O me felicem, soboles mihi datur, olim & si
Christe tibi quæ sit grata futura domus.

EXHORTATIO AD
PIETATEM ET VIR-
TVTEM,

Eodem autore.

Perpetuum nihil est: nam conterit omnia tēpus
Omnia corrodit, consumit & omnia tempus.
Omniaq̄, intereant tandem pereantq̄, necesse est,
Sola mori pietas nescit: Sapientia summa est
Hanc coluisse, viam facilem quia sternit ad astra.
O homines studium veræ pietatis amate
Æternam vobis res hæc paritura salutem est,
Si quis enim studijs & moribus ornat honestis
Crimine quam statuit sine labeq̄, ducere vitam,
Si quis amore calet virtutis, si quis abhorrens
A vitijs pius est, & Christi flagrat amore,
Talis erit felix, & ab omni parte beatus,
Atq̄, Deum facilem, tunc cum morietur, habebit.
Idem

Idem aliter.

*Omnia sunt habitura suum cum tempore finem,
Sola animi pietas durat & astra petit.
Æterna est pietas, æterna & inclyta virtus,
Utramq; ex animo qui colit, ille sapit.*

**Hexastichon laudem & com-
mendationem virtutis
continens.**

*Omnia tempus edax terit, omnia destruit ætas
Inclyta sed virtus nescia sola mori est,
Virtus grata suos super æthera tollit alumnos,
Post cineres virtus viuere sola facit.
Qui fieri felix ergo cupit, impiger ille
Virtutem, in CHRISTO cum pietate colat.*

Aliud.

*Forma, genus, tituli, perituraq; gaudia, mundus
Quæ petit, omnia sunt interitura semel.
Integra sed virtus, donum cœleste, manebit,
Donec erit, cœli qui regit astra, Deus.
Virtutem ergo Dei venerandum amplectere donū,
Cætera sunt nugæ, somnia vana, nihil.*

Aliud

Aliud distichon.

*Gramina languescunt, segetes moriuntur et herbae,
Sola mori virtus cum pietate nequit.*

F I N I S.



m,


m-

at.

it,

id





Jg 2699
~~2699~~
2633

ULB Halle 3
003 509 664



SB

li

174







B.I.G.

Farbkarte #13

DE SATANA
GENERIS
HUMANI HO-
STEFEROCIS-
SIMO

DIALOGVS,

Pio studio scriptus, & in lu-
cem recens editus

Ab

*ADAMO LAMPERTO
SERVESTENSI.*



WITEBERGÆ

*Typis Clementis Schleich & An-
tonij Schön.*

M. D. LXXVIII.

